

Decreto del Obispo de Madrid-Alcalá, de erección canónica de la Sociedad Sacerdotal de la Santa Cruz; 8- XII-1943.

“El itinerario jurídico del Opus Dei. Historia y defensa de un carisma”. Libro escrito por A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

14/01/2012

ERECTIO CANONICA SOCIETATIS
SACERDOTALIS SANCTAE CRUCIS

DECRETUM

Quindecim abhinc annos pius ac
zelans hujus Matriten Dioecesis
Sacerdos, Doctor D. Joseph Maria
Escrivá de Balaguer et Albás, favente
ac benedicente Ordinario
Dioecesano, Institutionem condidit,
cujus sodales, praeter propriam
cujusque sanctificationem, servatis
Evangelii consiliis in munere
professionali exercendo obtinendam,
hunc, quamvis non unicum,
specificum finem sibi proposuerunt:
enixe adlaborare ut selectam partem
virorum professionum
intellectualium, quibus natura
competit societatem civilem dirigere,
ad fidei catholicae principia
revocarent et ad Evangelicam
perfectionem suaderent.

Novam hanc Institutionem -quae, ob singularem et propriam consociationem "OPUS DEI" appellata, proprium finem omni contentione est ubique prosequuta apprime temporum nostrorum et nostraे Patriae necessitatibus urgentissimis respondere nemini non apparuit. Omnes enim fatentur, rei publicae eversionem, quae universam fere Hispaniam nuper cruentavit, desertioni a doctrina et praceptis Christi hominum "intellectualium" esse magna ex parte adstruendam, quippe qui doctrinis dissolventibus per tot lustra juventam studiosam inquinarunt.

Cui piae Institutioni divinus favor jam inde a primordiis constans adfuit, sese praecipue manifestans tum numero et qualitate ad eadem advolantium juvenum e integritate aequo ac ingenio florentium, tum fructibus uberrimus ubivis ab eadem

collectis, tum denique signo
contradictionis, quae operum Dei
sigillum exstitit. At vero,
succrescentibus in dies Institutionis
membris, ejusdemque mirum in
modum extenso activitatis ambitu,
visum est, scopum, constitutionem et
methodum actionis intra fines
simplicis Associationis ulterius
contineri non posse, sed ampliorem
et firmiorem exigere rationem verae
Societatis Ecclesiasticae legitime
erectae et constitutae. Sic enim, dum
diversae Institutionis activitates
organice coordinabuntur, ipsa
Hierarchiae intimius haerebit,
necessariam internam authonomiam
comparabit et firmitatem sanctionis
nedum Ordinarii loci verum etiam
Sedis Apostolicae nanciscetur.

Re igitur mature perpensa, pro
Nostro officio, universum negotium
ad Apostolicam Sedem retulimus, a
qua, per S. Congregationem de
Religiosis, telegrapho prius, dein vero

litteris authenticis diei 11 octobris 1943, sub n.' 2777/43, responsum accepimus, nihil ab eadem Sede Apostolica obstare quominus ad optatam erectionem canonicam praedictae piae Associationis deveniremus .

Quapropter, facultatibus cc. 674, 492, § 1, concessis utentes, laudatam piam hucusque Associationem, a Nobis ut talem jam antea adprobatam, in veram Societatem juris Dioecesani ad normam t. XVII 1. II Codicis Juris Canonici erigimus atque constituimus sub nomine
SOCIETATIS SACERDOTALIS SANCTAE CRUCIS, in finem compendio Statutorum Sanctae Sedis submisso sat expressum et mediis ibidem relatis obtinendum. Haec autem Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis erit ad normam juris communis Nobis Nostrisque Successoribus plane subjecta (c. 492, § 2). Ut vero efficacius intentos

effectus Societas consequatur,
volumus ac edicimus ut, firmo
compendio Statutorum Sanctae Sedis,
ut diximus, delato, ejusdem Societatis
ampliores et completiores
Constitutiones exarentur Nostrae
adprobationi subjiciendae.

Hujus decreti canonicae erectionis
Societatis Sacerdotalis Sanctae
Crucis, manu Nostra subscripti
Nostroque sigillo muniti, tria
exscribantur exemplaria: primum ad
Sedem Apostolicam remittendum,
alterum Rvdo Moderatori Societatis
tradendum, tertium denique in
Archivo Curiae Episcopalis ad
perpetuam rei memoriam
asservandum.

Matriti, in die festo Immaculatae
Conceptionis B.V.M., 8 decembris
1943.

+ Leopoldus, Episcopus Matriten.-
Compluten.

L + S J. Marco

Cancell.

A. de Fuenmayor, V. Gómez-
Iglesias y J. L. Illanes

pdf | Documento generado
automáticamente desde <https://opusdei.org/es-es/article/decreto-del-obispo-de-madrid-alcala-de-ereccion-canonica-de-la-sociedad-sacerdotal-de-la-santa-cruz-8-xii-1943/> (17/07/2025)